

861.

XI 96.

Berchtold Haller¹⁾ an Vadian.*(Bern. 1535.) December 28.*

Bericht über den Verlauf seiner Krankheit und Bitte um ärztlichen Rat. Versorgung Christoph Schappellers mit einer bernischen Pfründe. Verhältnis Berns zu Genf und Savoiën.

S. Doctas et gratas admodum epistolas tuas quoties legero, consolationem capio non vulgarem, quod videam me multis nominibus miserum a tanto viro non negligi; sed subinde non minus dolet, quod tot charissimorum amicorum familiari saltem colloquio privatum esse oportet perpetuo, cum ad prætorium nostrum vix serpere possim. Domini hæc est bona voluntas, qui utcunque gravatum sæpe^{a)} sic sublevat, ut videar mihi hoc felici onere carere non posse. De hernia loquor. Quandoquidem vero primas obtineas inter eos, quos summa veneratione duxerim, cogit necessitas, ut effundam in sinum tuum miseriam meam; ea spe, quod indubitato consiliis, et iis quidem optimis, non sis defuturus mihi unquam. Morbum hunc multis iam annis habui; hoc unum vero me decepit, quod parum aliquot annis crevit, nihil item doloris accessit. Hinc pudore victus paucissimis communicavi. Post disputationem vero nostram, cum toto corpore obeso essem, cœpit^{b)} morbus, sed sine dolore, crescere. Id cum Zvinglio communicarem, Frigium quendam octogenarium olim sacrificulum Bernam misit, qui onus hoc sic colligaret, ut sine periculo essem. Is cum et omentum et intestinorum partem dependentem non posset in ventrem et locum suum restituere, abiit re infecta. Misit deinde Iacobum quendam incisorem. Is incisionem cum vetaret, simul et lavacra aque, ligaculum spondit, quod et misit²⁾, mox Capellę cum aliis occisus. Ligaculum hoc etsi ambulans levaret, tamen non tantum potuit, quin morbus et hernia ipsa magnitudine longe excedat caput meum ac in dies crescat. Tibialibus sic stringo — nescio, ne interim exitum faciam maiorem —, ut saltem in templum ingredi possim pro contionibus faciendis. Egre urinam effundo, quod virgula nulla ferme sit. Interim nihil doleo, sed mire gravor. Hic velim, consulas, quandoquidem ventosum cibum noster Valerius prohibet. Velim tamen a te exprimi, quinam illi sint, quo item pacto ventositates prævenire aut præsentibus mederi possim. Venter non adeo laxus est nec urina tam copiosa ut antea; sed interim minori cibo satior, plus potus semper desiderans. Ut igitur ventrem laxum conservem, urinam item commode effluentem, ut item certo sciam, quibus vesci

debeam leguminibus, carnibus, piscibus, et ut ligando strictius aut laxius mihi non incommodem, dum pro otio^{c)} nuntio^{c)} certo poteris, propter Christum nobis communem mecum communica. Desiderant ecclesia et pii quique valetudinem meam piis votis et precibus; tu media suppeditabis, quibus et me quoque iuves. Deinde quæ de D. Sertorio scribis, cum Megandro contuli. Sunt quidem apud nos parochiæ plures 187, ministri ferè ducenti. Inter eas omnes provincias nullam scio tanto viro dignam, quam eam, quæ est in oppidulis Lentzburgi, Brugæ, Aroç, Burgdorfii et Thuno. Hæ autem ecclesiæ omnes ministros habent, viros iis non indignos. Ceteræ parochiæ pagorum sic sunt vel tenuis vel tam laboriosi et rusticani victus, ut omnino non suaderem huic viro iniungendas. Verum interim fateor, penuriam esse apud nos, sicut et alibi, ministrorum paucosque esse, immo ferme nullos, quibus non sit consultum. Hic iam deliberare poteris cum Sertorio, quid faciendum vobis videatur. Nos viro non deerimus pro nostra virili; sed interim nolumus illum seduci. Nisi votis nostris non succedat, aderis conventui fratrum in Helvetiis, ubi a Basiliensibus indictus fuerit, quemadmodum a senatu nostro et Tigurino impetrarunt. Illic latius Megandro loqui poteris. — De Gebennensibus multa scribenda forent. Brevibus hoc accipe: Allobrogum regulus diem senatui statuerat in valle Augustæ, ubi ipse suo ore omnino cum illis convenire vellet per omnia propter Gebennenses. Cum igitur illic congregati nostrates primum peterent evangelii libertatem nec suæ instructionis reliquam partem indicare vellent, renuit omnino regulus. Ita re infecta nostri ab eo discesserunt. Heri resignarunt nostri et remittere deliberarunt regulo omnia fœdera^{d)} a ducentis annis cum Sabaudiæ domo inita. Interim aliquot Galli equites circa centum cum Gebennensibus suppetias ferre vellent, interceptum est illis iter a Sabaudis atque ab illis capti in arce quadam detinentur. Duo vero illorum duces una cum 10 equitibus Gebennas pervenerunt salvi. Habent ex nostris 45 pedites. Sed quid hi inter tot hostes? Congressi tamen nostrates cum Sabaudis, multo maiori numero paratis, semper abierunt victores. Ubi certum habuero nuntium^{c)}, multa scribam. Vale. 28. Decembris.

Tuus *Berchtoldus H(allerus)*.

Viro eximiæ pietatis, eruditionis et prudentiæ D. Ioachimo Vadiano, apud S. Gallenses consuli, domino et maiori suo semper observando.

a) „e“ für „f“. — b) „f“ für „ce“. — c) „c“ für „t“. — d) „fed.“.

1) Vgl. III, Brief 434. Das Jahresdatum ergibt sich aus dem Inhalt des Briefes. — 2) Vgl. Schuler u. Schulthess VIII, 2, S. 144, in dem Briefe B. Hallers vom 12. Febr. 1528.

1535/36 Mai 14. V. Tschudi VII, 57, Nr. 43.
862.

IV 2.

Thomas Gassner¹⁾ an Vadian.

Lindau. 1536. Januar 9.

Übersendung eines Briefes von Bedrotus mit der Bitte um Rücksendung. Freude über die errungene Einigung. Vadians Sache ist es, auch die Zürcher zum Beitritt zu ermuntern. Der Tag von Schmalkalden. Bitte um Mitteilung und Grüße an Vogler.

Pax domini Iesu tecum. Iusserunt fratres Argentinenses, quod alias eram ipse ultro facturus, ornatissime vir, harum litterarum copiam tuæ^{a)} Humanitati mittere. Mitto litteras ipsas, quas ad me hisce diebus scripsit Bedrottus; pellectas, obsecro, remittere velis michi. Gaudeo valde, hanc coeptam^{a)} concordiam stabiliri in profectum evangelii Christi. Tuum erit, iuxta eximiam animi tui prudentiam et fratres Tigurinos ad hanc exhortari. Legatus noster nondum a comitiis Schmalckhaldinis rediit; speramus, illic rem prospere successuram; nam ferunt et duces Wirtenbergensem advocatum. Precabimur dominum, omnia ut fiant in sui nominis gloriam. Vale et harum rerum velim Voglerum certiosem per te fieri, cui precor et salutem multam. Lindavii, 9. Ianuarii, anno 36.

Thomas Gasnerus.

Clarissimo viro Ioachimo Vadiano, apud S. Gallenses consuli prudenti, pio et fidelissimo, domino suo observando.

a) „e“ für „ce“ und „ce“.

1) Vgl. IV, Brief 484.

863.

XI 61.

Theodor Bibliander¹⁾ an Vadian.

Zürich. (1536?) Januar 9.

Freude über die Genesung Vadians von einer Krankheit. Verwendung für Schappeler bei Oporin.

Christus servator plurimam salutem tibi conferat, ornatissime et colendissime Vadiane. Supra modum mihi doluit, quum accepissem, te adversa valetudine conflictari; sed rursum gavisus sum, quod morbus est mitigatus. Dominus deus noster, qui percutit ac sanat, per suam misericordiam infinitam servet te ecclesiæ superstitem et incolumem ac sanum diutissime. Mitto ad te epistolam ad Oporinum nostrum, in qua causam